

I. *Observationes Stellæ fixæ in Geminis à corpore Jovis occultatæ, Januarii 11mo. St. vet. 1717.*  
*& Transitus ærissimi Martis infra Borealem in fronte Scorpii Febr. 5. mane.*

**A**NTE biennium in *Transact. Philos.* No. 344. pag. 294, rerum coelestium studiosis indicavimus, *Jovem* corpore suo stellam quandam fixam obtegere debe-re, eosque ad observationem Phænomeni rarissimi, & magno in Astronomicis usui futuri, invitavimus, signan-tes diem Januarii hujus anni decimum. *Jove* autem pene Stationario, & paulo amplius in orientem quam per Tabulas nostras proiecto, non ante undecimum incidit prædicta Occultatio; quam quidem *Londini* ob Nubes non contigit ex voto observare

Nec tamen frustra invigilarunt Astronomi nostri. D. *Martinus Folkes* *Londini*, præsentibus aliis nonnullis e Societate Regia, Jan. undecimo 8h. P. M. vidit *Jovis* centrum una diametro corporis ejus Fixam sequi, quæ dicto centro Borealior erat quasi dodrante semidiame-tri *Jovis*. Postea Nubes *Jovem* occuparunt, sed, habita ratione motus *Jovis*, paulo post medium noctis stellam *Jovi* conjunctam fuisse, & a Borea diti ejus parte oc-cultatam, conclusit.

Reverendus Dominus *J. Theophil. Desaguliers*, R. S. S. & D<sup>ns</sup>. *Stephanus Grey*, *Westmonasterii*, viderunt Fixam, Horâ Sextâ vespertina, integra *Jovis* diametro distare à limbo ejus, Corum versus. Unde & ex sequentium di-erum Observationibus, circa medium noctis incidisse conjunctionem evincitur

Reverendus quoque D *J. Pound*, apud *Wansted*, in-frascriptas nactus est observationes, quas utique accura-tissimas

tissimas, Tubo scil. prælongo & Micrometro captas, huc transcribere non pigebit.

Itaque *Januarii* Quinto 5<sup>h</sup>. 6'. T. æq. Jovis centrum distabat a dictâ Fixâ 31'. 49". quam 5<sup>h</sup>. 38'. sequebatur 34'. 12" Ascensionis rectæ: simulque limbus *Jovis* Austrinus eandem habuit Declinationem cum stella.

Die autem Nono sequente 6<sup>h</sup>. 6'. Jovis centrum distabat a stella 10'. 49"; & post octo minuta erat differentia Ascensionum rectarum 11'. 32": & tum centrum Planetæ, tantillo, ita ut vix perciperetur, erat Stellâ Australius.

Die Undecimo 5<sup>h</sup>. 30'. T. æq. erat distantia centrorum 1'. 24'. simulq; visa est stella quasi quadrante diametri Jovis Borealior centro ejus. Diameter autem minima *Jovis* inventa est 0' 43". Deinde Nubes.

Die vero Duodecimo 5<sup>h</sup>. 17'. erat distantia centrorum 3'. 7"; ac 5<sup>h</sup>. 50' Jupiter stellam præcedebat 3'. 30". Ascen. Rect. Eodemq; tempore limbus Jovis Boreus eandem habuit Declinationem quam Fixa accurate.

Collatis autem his Observationibus manifestum est Fixam hanc *Jovi* conjunctam, *Januarii* undecimo 13<sup>h</sup>. circiter, non nisi 17" vel 18" centro ejus Borealiorem fuisse, ac proinde occultatam.

Fixa hæc, etiamsi nulli Catalogo hactenus ascripta, Locum tunc habuit  $\pi$  22°. 13'. cum Lat. Aust. 0°. 13' $\frac{1}{2}$ ; Comitemque habet 17 min. eam præcedentem & 7 min. Borealiorem, sive in  $\pi$  21°. 56' cum Lat. Aust 0°. 6' $\frac{1}{2}$ , cui *Jupiter* conjungi visus est *Jan.* 16. 6<sup>h</sup>. 30'. vesperi.

Sic spatio minus bimestri *Jupiter* corporaliter eclipsavit duas Fixas, cuius rei ne singulare quidem exemplum ab invento Telescopio extat: proinde hæc observata inter pretiosissima Uraniaæ κειμήλια, in usum Posteriorum, merito reponenda sunt.

Nostra autem stellula anno 1634. Feb. 6. Jovi Stati-  
onario conjuncta, tribus ejus diametris Australior erat,  
observante Gassendo: unde constabit, calculo rite institu-  
to, Jovis Nodos quoad sensum immobiles hæsisse, per  
83 annos ultimo elapsos, idque ad  $2^{\circ} 8' 35''$  a  $1^{\circ} 4' 7''$ .

Ad alteram autem Observationem Transtitus Martis  
prope Boream Frontis Scorpii non minus insignem, iidem  
Astronomi eadem cum cura invigilarunt omnes. Mars  
autem, Februarii Quinto Mane, vel Quarto  $16^{\text{h}}$ . viñus  
est adeo vicinus stellæ dictæ, ut ea nudis oculis non con-  
spiceretur; sed per Telescopium inventa est supra & ad  
ortum, adeoque Mars nondum ei conjunctus. Hora  
 $16^{\text{h}}. 10'$ . T. app. Mars erat in recta cum Borea frontis  
& Telescopicâ quæ eam sequitur ad Boream, ad distan-  
tiam octo circiter minutorum.  $16^{\text{h}}. 35'$ . Mars interme-  
dius erat in recta cum Boreâ & Mediâ Frontis; & post  
horæ quadrantem, cum Austrinâ Frontis, ita ut  $16^{\text{h}}.$   
 $54'$ . T. app. æstimabatur Conjunctione ipsa quoad Longi-  
tudinem, quo tempore Mars sat accurate duobus tan-  
tum minutis australior erat stellâ. Observavit etiam D.  
Pound Conjunctionem respectu Ascensionis Rectæ  $17^{\text{h}}.$   
 $25'$ . T. app. cum distantiâ centrorum  $2'. 07''$ . Jucun-  
dum autem erat spectaculum, Martem videre stellam  
pedentem aggredientem, motumque suum, lentissimum  
licet, manifeste prodentem.

Conferatur cum hac Observatio Horroxii nostri anno  
1638. Februarii Septimo mane, quam vide in Epistolis  
ejus pag. 304. Tunc enim Mars ad eandem stellam  
appulsus, etiam multo propius ad eam accessit, sed ante  
ortum ejus præterierat Conjunctione.

His adde Saturni observationem Januarii 25to.  $12^{\text{h}}.$   
 $25'$ . T. æq. à D. Pound habitam. Cum Planeta dista-  
bat à stella 58va. Virginis Catal. Brit.  $13'. 16''$ . versus  
Austrum, eamque sequebatur  $2'. 30''$ . Asc. Rect. Stella  
in  $\approx 19 21'. 52''$ . cum lat. Bor.  $2^{\circ} 47'. 25''$ .